] Polydæ.
Pastilli]
] Andronis.
Oleum Sarcocollæ.

Medicamenta causam mobificam adimentia.

SEquuntur materiæ remedij præseruatorij morbi causam respicientis, ea verò duplex est, per se, per accidens. Per accidens sunt symptomata, quæ ob magnitudinem induunt rationem causæ morbum augentis, & vires prosternentis, scilicet immodicus dolor, excedens quælibet euacuatio, peruigilium, animi deliquium. Nunc de caussis per se sermo erit. Sunt autem causæ per se humores, & quæ ex ipsis fiunt à naturæ lege aliena, quæ omnia peccant vel quantitate, vel qualitate, vel substantia, vel motu. Quantitas minuitur vacuatione vel sensibili, vel insensibili. Sensibilis vacuatio sanguinis fit phlebotomia, vel alio chirurgico remedio; aliæ materiæ humorosæ, & ichorosæ vacuantur per aluum lenientibus, & purgantibus, quibus præmittitur protherapia, per os vomitorijs, per vrinam diureticis, per cutem sudorificis, & diaphoreticis, per sputum expectorantibus, per nares errhinis, per palatum apophlegmatismis, gargarismis caput degrauantibus,

bus: insensibiliter vacuant digerentia, at trahentia a centro ad circumferentiam, de quibus ordine est dicendum.

Lenientia.

QVæ aluum leniunt, licèt diuidantur in ea, quæ per os sumuntur, & in ea quæ immittuntur per sedem, clysteres scil. & suppositaria, quia tamen hæc posteriora non attinent ad simplic. medicamentorum materias, sed potiùs ad locum, & modum adhibendi medicamenta, eorumq; compositionem hic proponenda sunt duntaxat lenientia per os assumpta, quæ aluum mouent vel vomitũ cient. Aluũ mouentia non sunt eiusdem facultatis, quædã enim humectando potius, quam abstergendo, quædam expultricem roborando, alia eandem irritando, quædam lubricando aluum laxant, aliqua demum leuẽ habent vim attractoriam à vicinis mesenterii venis ad differentiam verè purgantium, quorum tractio ad longiores partes pertinet. Rursus lenientium quædam sunt alimentalia, quædam medicata magis; alimentalibus vtimur prima mensa ad aluum lubricandam, medicamentosis pro ventriculi, & intestinorum expurgatione, & si leuiter quæque trahant, pro purgatione propioris partis mesenterij.

Le-